

CAPITIS DECIMI ET ULTIMI
MEMBRVM SECVNDVM,

*In quo de eorum Sententiis, qui Cometam hunc in-
tra Lunam in Regione Elementari extitisse opi-
nati sunt, deque occasione lapsus eorum,
& Demonstrationum adductarum
insufficiencia, agitur.*

R Ecensui hactenus, accuratèque expendi eorum Obseruati-
ones, & his fundatas decisiones, quorum erudita Scripta
ad nostras manus peruenerunt, ex quibus, Cometam hunc non
in Elementari Mundo infra Lunam, sed in ipso remotissimo
Æthere Generationis & Cursus sui sedem obtinuisse, euiden-
ter comprobatur; Qui etiam mecum, hac in parte, apprimè
consentiunt, nostramque Sententiam de Æthereo huius Come-
metæ situ, suo suffragio confirmant. Sed quia non adhuc omni-
bus satisfactum erit, nisi & eorum Opiniones, qui ipsum Ele-
mentarem fuisse, suis quibusdam rationibus persuasi, credide-
runt, idque publicis Scriptis testati sunt, ad Veritatis lapidem Ly-
dium probentur, vt quatenus à scopo deflexerint, manifestum red-
datur; idcirco nunc præcipuorum Propositiones, & Argumētatio-
nes indicabo, ex ijs, qui sublunarem fuisse hunc Cometam con-
tendebant, easque ad Obseruationum & Demonstrationum certi-
orem normam diligenter ponderabo, nè quæ hæsitati residua sit
occasio; vtque vel hinc elucescat, quam procliuis sit errorum via,
& quam facilè Mortales in deuia abducantur, adeò vt Veritatis ab-
strusum tramitem, etiam tum cum se eo certissimè incedere per-
suasum habent, haud ubiq; assequatur. Quis equidè non assentiretur,
Cometam hunc in Elementari Mundi Regione, longè infra Lu-
nam generatum fuisse, cum non saltem tot sæculis Peripatetico-
rum recepta & confirmata Opinio, omnia Crinita Sidera in su-
premo Aëre, ab exhalationibus Terrestribus sursum eleuatis pro-

R R 3

creari.